

Provinces al' Amour


B-72  
10916

12. 160.

BIBLIOTECA  
del  
INSTITUTO  
Y PROVINCIA  
de  
HUESCA.

B-72  
10916





ORATIO  
HABITA  
IN OSCENSI UNIVERSITATE

XV KAL.

NOV. ANN. M.DCCCXXXVI.

A D. D. VICENTIO COTENS AR. MAG.  
MED. D., ET ACADEM. ORATOR. MODER.



OSCE: MAJI M.DCCC.XXXVI.

Typis Pontificiæ, et Regiæ Academiæ.

ATIEAH

IN OSCENI UNIVERISATI

1477 VII

Cum verba, ait Aristoteles, sint eorum, quæ animo concepimus, notæ; fieri nullo modo potest, ut, qui vim verborum non pereipit, eam sententiam, quæ illis verbis expressa est, assequatur.



**N**on novum, sed olim jam agitatum ar-  
gumentum hodierna die vobis proponere  
decrevi. Libentius perutilem materiam ver-  
naculo, potius quam latino stylo effudisse,  
si à scholæ nostræ usitata methodo, recep-  
tissimoque Universitatum more, recedere li-  
ceret. Mirum ergo non videbitur, me, ex  
hoc amplissimo dicendi loco nativa idioma-  
ta, non in disciplinis descendis; verum  
etiam in publica ipsarum eruditione tra-  
denda, magnoperé commendare.

Non idéo prætantissimam linguam latinam criminosaē damnare oblivioni tento. Probé scio, per trecentos annos, postquam humaniores litterae, et cum iis scientiæ fere omnes in Europa revixere, communem Doctorum Virorum linguam fuisse, per totum terrarum orbem intellectam, qua inventorum omnium, et observationum, quoque aut sciri, aut propagari mererentur,

facillimum, et commodissimum per omnes, quæ scientiam colerent gentes, commertium fiebat. Hoc, ut communi tunc temporis sermone in operibus non Provintiæ, non Regno; sed universo feré Mundo scriptis, Ecclesiæ Patres, Concilia sacra, Jure Consulti, Theologi, aliquique celeberrimi scriptores usi fuere. Neotericos, Antiquioresque latinos, in omni scientiarum genere Autores neglectos jacere, aut in caligantibus bibliothecis repositos gravi, æternaque somno tradere nolo. Quis Poetica, Rethorica, Philosophica, Theologica, Medica, aliaque eruditissima eorum opera seriò evolvit, quin admiratione non rapiatur?

Iis fortassé rationibus, scholarum latini idiomatis manet adhuc consuetudo. Elementales disciplinarum libri juventutis nostræ instructioni memorato dicantur stylo. Numquam à trita antiquorum methodo deflectendum? Veteres Hispaniæ nostræ consultantur Autores; sæculi insequamur progressus; exterarum nationum indulgamus exemplo, et illicó propositionis enum-

ciatæ veritas innotescet; nimirum nativam linguam, in generali, ac publica scientiarum instructione cœteris omnibus esse anteponendam.

Prima inter stili proprietates, claritas meritò numeratur. Quintilianus ait: oratio debet negligenter quoque auditoribus esse aperta; ut animo audientis sicut sol in oculos, etiamsi in eum non intendatur, occurrat. Quare non solum ut intelligere possit, sed ne omnino possit non intelligere curandum. Ex terminorum intelligentia cognitionem rerum pendere unanimis est hominum sententia. Eos qui, quid quoquo verbo proprié indicetur, non satis intelligunt, in rebus judicandis sœpè falli. Verborum ignoratio scientiarum Provincias densa caligine obtexit, magnoque ipsisem fuit impedimento.

Ubinam antiqui Hispaniæ nostræ Magistri fulgentissimam in docendo claritatem quæsiere? Non certè in exoticis linguis peritur, cum sœpesæpius in familiaribus non inveniatur. Decimo sexto sæculo exer-

citatissimus Græcæ Latinæque linguarum præceptor Petrus Simon Abril, iterata quadraginta trium annorum praxi latinam linguam pro erudienda in nostris athenæis juventute improvabit, hujusque methodo retrorsam, Regni eruditionem tribuit.

Hæc sunt ejus verba. Tribus in Hispania vitiis disciplinæ omnes laborant; sed præcipuum, in latino docendi modo fundatur. Nulla ab hominis creatione adeo barbara extitit Natio, quæ ista fecerit. Chaldaei Chaldæa Hebraei Hebræa lingua docuerunt. Id ipsum cæteræ Nationes fecere. Ægypti, Phœnices, Græci, Latini Arabes, et Hispani primis temporibus vulgari erudiebantur lingua. Tunc discipuli facillimè intelligebant, et Magistri clarissime explicabant. Nunc vero istorum plerique nativam deserentes linguam auditoribus conceptus suos non emittunt, et verborum obscuritate, aut ignorantia, utrinquè non in explicando; sed etiam in intelligendo gravissima oritur difficultas. Orationis perspicuitas ita à peritissimis scientiarum Doctori-

bus in docendi modo commendatur; ut translatitia verba, ac eloquentiæ ornamen- ta vitare suadeant, né alliciendo volunta- tem animus á veritate revocetur, atque attentio, qua ad discendum indigetur á se- verioribus ad jucundiora transferatur.

Quis litterariis scholarum exercitiis ali- quandó interfuit, quin in disputationis fervore latino relicto stylo, sponte difficul- tatem familiari propositam audierit? Quid magis supervacaneum ac inutile, quam discipulos pridié improbo labore lectionem memoriæ mandare, et eandem postridié nativa explanatam lingua callere? infruc- tuosus adolescentum labor, dum non af- fluentibus terminorum ideis; sed solummo- do inexplicabili ipsorum cumulo inaniter memoria vexatur.

Aliundé, si musarum delubra latinis tantum adstantibus patent; omnibus cæte- ris instructionis iniqué occluditur via. Plu- rimi nunc duris agricolarum ministeriis delectantur, aut commercii negotiis inten- dunt, aut denique mechanicis opificum la-

bōribus vacant, qui si alicui disciplinarum generi operam dedissent, generalem, quem apud Gallos, Italos, Germanos, aliaque Europae Regna perfectionis gradum animadvertisimus, eundem, inter nos admiraremur.

Gravissima hæc sunt studiorum obsta-  
cula. Quapropter Arabes, vetustissimi Hi-  
spaniarum incolæ, vivo doctrinarum de-  
siderio ducti, publicæque consulentes in-  
structioni, Græcorum scientifica opera in  
familiarem transtulerunt sermonem. Nostra-  
tes decimi sexti sæculi Doctores, eorundem  
operum in Hispanum idioma, ut aptius  
latinoque facilius, acuratissimam versionem  
fecere. Exemplum æmulatione dignum, sed  
nescio, quo fato recentioribus nostris invi-  
sum! Eó inveterata scholarum increvit con-  
suetudo, ut proficua antiquorum neoteri-  
corumque praxis inconsulto spernatur, et  
posthabitis scientiarum progressibus, lati-  
nis traductoribus adhuc præmia proponun-  
tur, ut tenera erudiatur juventus. O ridi-  
cula capita! Legant latinæ linguæ Patroni,

legant præclarissimum Marianam, ut existiosa eorum idea revocetur. Postquam memorandam Hispaniæ historiam latina lingua exarabisset, sapientissimorum hominum rogationibus, contra mentem suam, denúo vulgari lingua in lucem edidit.

Possunt ne luculentiora in propositionis confirmatione testimonia adhiberi? Missam Hispanorum Ambrosii Morales, et Ludovici Vives opinionem facio, qui eandem iniere sententiam.

Hodiernus litterarum incredibilis Europæ progresus, diversa omnino scientiarum facies, ingens, quæ societati ex ipsis comparatur utilitas non modò usitatam hactenus docendi methodum respuunt, sed ut ætati nostræ ridiculam damnant. Omnia unius cùjusque sæculi genio parent, atque trahuntur: et justa specialem eminentemque characterem à sapientibus denominationem accipiunt: undé barbara, ferrea, aurea, ignorantiæ, et illustrationis nomina. Omnia in sæculis mutantur, et sicut coëvæ evanescent opiniones, denúo novæ succedun-

tur, hinc multa aperiuntur quotidie, quæ apud majores nostros non sunt inventa.

Conffératur, quæso, recens litterarum, status. Quid priscis temporibus scientiæ, mortua lingua profecere? Difficultates, quæ à remotissimis retro sæculis sillogisticé objiciebantur, hodiernis disputationibus adhuc, quin enodentur, in palæstris audiuntur. Ubi præstantissima scientiarum utilitas? Metaphysicus illarum modus scholasticorum memoriæ molesto fuit exercitio, et amænus disciplinarum ager sterilis, nostram usqué, in ætatem turpitér permansit. Similes hæredibus, qui incultam à patribus hæreditatem accipientes, laborum assiduitate frugiferam successoribus relinquunt; sic amplivagum sapientiæ campum, magna segetum exuberantem copia possideimus.

Non ipsæ, quæ quondam; sed novæ disciplinæ omnium oculis obversantur. Ideologiæ, Phisycæ, Chimyæ, Medicinæ, aliarumque facultatum naturalium methamorphosis, prima fronte internoscitur. Utinam mihi per tempus liceret, disciplinarum Eu-

ropæ adumbrationem vobis patefacere; sed nec temporis angustiæ, nec orationis brevitas, nec nimia objecti extensio, et præcipue mearum virium imbecillitas, continuare sinunt. Nihilominus media, quibus Nationes exteræ ad perfectionis fastigium pervenere, minime silentio præteream.

Publica disciplinarum instructio adolescentibus familiari sermone exhibetur: vix scientiarum naturalium latina opera apud ipsas edita existuunt, et quae fortasse nunc extant, quam longissime ab hodierna perfectione distant, nec publicarum lectionum textui deserviunt. Sedula sapientum cura, quae in aliarum Nationum operibus, scitu, ac imitatu digna apparent, accurata proprii idiomatici versione, tamquam sibi propria vindicantur. Sic sapientiæ lumina undique erumpunt; sic recentes Theorie, utilia experimenta novaque inventa docentur, et experiuntur. Et nos quoisque felici præstantissimæque Regnorum praxi renuemus? In longius orationem meam protraherem; sed hactenus dicta in asserti confirmatio-

nem sufficere opinor. Nota est jam nostrum Autorum sententia; authenticus Europae docendi, scribendique modus; evidentes scientiarum naturalium progressus; ingentissima societatum utilitas, quibus disciplinarum perfectio jure, meritoque debetur.

Non vos studiosi adolescentes, quot quot in hoc Sertoriano Museo, hodierna die convenise video, non vos mea compellat oratio: absit a me, latinae linguae usum tamquam inutile vobis proponere: auriti dissertationis testes adfui stis. Utinam non latinam tantum, sed et coeteras Europae linguas apprimé calleretis, ut omnium fructibus, ac scientiarum laboribus, undique collatis, Regnum nostrum omnia nunc florentissima anteiret.

*Dixi.*

